

*Animarum* 1, cap. *Is qui* 3, et cap. *Licet* 4, eod. in 6. Sic citat. doctores et alii.

(76. Si vero uxor remaneat vidua, et decedat, non sibi electa sepultura, quamvis habeat sepulcrum majorum, debet sepeliri in sepulcro mariti. *Communis* textu expresso in c. *Ebron.*, caus. 13, qu. 2, ubi etiam redditur ratio his verbis: « Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulcrum, quia una caro sunt, et quos Deus conjunxit, homo non separet (Matth. xix, 6): » et concordat cap. *Unaquæque* 8, eadem caus. et q., ibi: « Unaquæque mulier sequatur virum suum sive in vita, sive in morte. »

(77. Et si talis uxor vidua plures habuerit maritos, sepeliri debet in sepulcro ultimi, textu expresso in cap. *Is qui* 3, De sepulturis in 6, § *Mulier*, ibi: « Mulier autem, quæ plures viros habuit successive, si sepulturam non eligat, est cum viro ultimo, cujus domicilium retinet et honorem, tumulanda. »

(78. Uxor vidua debet sepeliri in sepulcro mariti, etiamsi locum habitationis mutet et redierit ad domum paternam, vel aliorum se contulerit, arg. cit. c. *Ebron* 2, caus. 13, qu. 2, quia in tali vidua aliorum se conferente militat ratio ibi allegata, nempe: « Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulcrum; » tale enim privilegium est datum personæ, et non loco, et mulier vidua vidualem vitam servando, censetur durare in conjugio viri. Joannes Andreas, in cit. cap. *Is qui* 3, De sepultur., in 6; Silvester, verb. *Sepultura*, qu. 8, dict. 5; Pirrhing, lib. III *Decretal.*, tit. 28, n. 12; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 12; Donat., tom. III, tit. 9, qu. 24, n. 9, cum aliis ibi allegatis; Sperell., tom. I, decis. 88, n. 13, cum pluribus aliis ibi citatis; Panimol., cit. decis. 3, adnotat. 3, n. 36, et alii.

(79. Non esset tamen uxor sepelienda in sepulcro mariti, si necdum ad ejus domum fuerit traducta et ab ipso cognita, quia in tali casu non acquisivisset ejus domicilium, nec fuisset facta una caro cum ipso, quæ sunt motiva, ob quæ ex cit. cap. *Is qui* 3, De sepulturis in 6, et cit. cap. *Ebron* 2, caus. 13, qu. 2. (80. Uxor debet sepeliri in sepulcro mariti. Sic doctores citati, et alii passim. Item non est sepelienda uxor in sepulcro mariti in casu, quo ob ipsius adulterium factum sit divortium, et totalis separatio, quia tunc non est amplius de domo mariti, cum ejus domicilium juridice amiserit. Sic citati doctores, et alii.

(81. Si uxor moriatur prægnans, fetus in utero existens una cum matre mortuus, et non extractus, tanquam pars ventris sepelitur una cum matre in Ecclesia. Si autem extractus sit, ipse utpote non baptizatus, sepeliri debet extra locum sacrum, et mater in Ecclesia. *Communis* cum supracitatis doctoribus.

(82. An autem, sicuti ex supradictis uxor debet sepeliri in sepulcro mariti, ita etiam maritus decedens, non electa sibi sepultura, debeat sepeliri in sepulcro uxoris?

contendunt doctores; abbas enim in cap. *De uxore* 7, De sepulturis, n. 7, tenet affirmativam sententiam, quam sequitur et probabilior assertio Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 24. Et ratio istorum est, quia revera eadem prorsus militat juris ratio in marito, quæ in uxore, cit. cap. *Ebron* 2, caus. 13, qu. 2, adducta, nempe: « Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulcrum, quia una caro sunt, et quos Deus conjunxit, homo non separet. » Ubi autem eadem est juris dispositio. Cap. *Inter corporalia*, 2, De translatione, episcop., l. *Ideo* 27, ff. *De legibus*, ibi: « Semper quasi hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas, et ad eas res pertinerent, quæ quandoque similes erunt, quia ut expresse dicitur in l. *Non possunt* 12, ff. eod., ibi: « Non possunt omnes articuli sigillatim, aut legibus, aut senatusconsultis comprehendere, sed cum in aliquo casu sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet. » Silvester vero, *loc. cit.*, dist. 5; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 10; Donat., *loc. cit.*, tract. 9, qu. 24, n. 11; Riccius, part. IV, *Prax. resol.* 293, n. 3, et alii partem negativam defendunt, argum. cap. *Unaquæque* 3, caus. 13, qu. 2, ubi solum dicitur, quod « Unaquæque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte, » non autem dicitur, econtra de viro; tum quia absurdum est, quod maritus sequatur dispositionem uxoris, arg. l. *Si ita* 45, ff. *De legat.* 2.

(83. Ast hæc rationes, et jura per auctores secundæ negativæ sententiæ adductæ de facili, et recte solvuntur a Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 25, quia dicit ipse, licet maritus non teneatur sequi uxorem, et in vita, et in morte, sicuti uxor tenetur sequi maritum, tenetur tamen maritus sequi uxorem post mortem, si non vigore citati canonis *Unaquæque mulier*, vigore tamen citati canonis *Ebron*, ob rationis et juris omnimodam identitatem, nempe: « Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulcrum, quia una caro sunt, et quos Deus conjunxit homo non separet, » tum quia canon *Ebron* majorem vim præ se ferre videtur, utpote depromptus a Papa, nempe Gelasio, quam canon *Unaquæque mulier* depromptus a non Papa, nempe a S. Augustino, ut ibi patet. Nec est absurdum, quod vir sequatur dispositionem uxoris, si aut jura ita exigant, aut uxor rationabiliter disponat. Imo est summe laudabile, et quandoque necessarium, quod maritus sequatur dispositionem mulieris, præsertim in piis operibus ad salutem æternam tendentibus. Dicit enim Apostolus *I ad Corinth.*, cap. VII, num. 14, quod sic faciendo *sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem*. Nec in contrarium stat cit. l. *Si ita* 45, ff. *De legat.* 2, ab adversariis adducta; ibi enim non id, quod ipsi dicunt, sed solum dicitur quod vocabulo femineo masculum non contineatur, ibi: « Exemplum enim pessimum est feminino vocabulo etiam masculos contineri. »

(84. Habitans in confinio duarum paro-

chiarum, scilicet in domo sita partialiter in fundo duarum parochiarum, si decedat sine electione sepulturæ, nec habeat sepulcrum majorum, sepeliri debet in illa parochia, ex qua est ingressus in domum: si autem sint duæ portæ, sepeliri debet in illa parochia, ex qua est porta principalis, sive anterior facies domus, quia hæc censetur nobilior. Sic Pignatell., tom. VIII, consult. 5, n. 7; Barbosa, *De offic. et potest. parochi*, part. II, c. 21, n. 43, et *De offic. et potest. episcop.*, alleg. 32, n. 71; Kugler., *De matrim.*, n. 298; De justis, lib. I, cap. 19, n. 64; La Croix, lib. VII, n. 241, cum Bartol. et Bald. ibi citatis.

(85. Si quis in testamento disposuerit, ut sepeliatur in parochia, in qua fuerit moriens, et casu moriatur in aliena parochia, non debet sepeliri in hac aliena, sed in parochia proprii sui domicilii, quia per istam egressum, vel brevem absentiam non amisit propriam parochiam, nec alteram acquisivit. Pignatell., tom. IV, consult. 151; La Croix, *loc. cit.*, n. 230, et alii.

(86. Eligere sepulturam sibi benevisam potest quilibet sive masculus, sive femina; dummodo habeat debitam ætatem, et a jure non prohibeatur. *Communis*, per text. in c. *Nos instituta* 1, cap. *Fraternitatem* 3, cap. *Cum super* 8, cap. *In nostra* 10, De sepulturis, cap. *Animarum* 1, cap. *Quis* 2, eod. in 6.

(87. Et potest quis libere sibi eligere sepulturam, etiam extra propriam patriam in diversa et remota provincia, etiam aliena. *Communis*, textu expresso in cit. c. *Nos instituta* 1, De sepulturis, ibi: « Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam et aliam alienam; Dominus enim, et magister alienam eligit ut propriam, » juncta Glossa, *ibidem*, verb. *Alienam*, id notante de Domino nostro Jesu Christo, « qui natus in Bethlehem, nutritus in Nazareth, sepultus fuit in Hierusalem in sepulcro Joseph. »

(88. Si quis autem eligat sepeliri in sepultura aliena, non potest ibi sepeliri, nisi consentientibus patronis sepulturæ, quia, quod nostrum est, absque facto nostro auferri a nobis non potest. L. *Id quod nostrum* 11, ff. *De regul. juris*, ibi: « Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest. » Sebastianus Medicus, *De sepultur.*, cap. 9, num. 4; Barbosa, lib. II *Juris Eccles. univers.*, c. 10, num. 12; Ventriglia, tom. I, adnotat. 52, § unic., num. 3, et alii passim.

(89. Quoad hunc effectum autem non dicuntur patroni rectores Ecclesiarum vel superiores regulares, sed illi, quibus per dictos rectores seu superiores regulares, concessa est sepultura. Unde in similibus casibus est expresso petenda prædicta licentia a dictis patronis, vel eorum successoribus, sine qua licentia rectores vel superiores regulares in prædictis sepulturis aliquem sepelire non possunt, quia de jure in fundo, in quo quis habet usum, non potest dominus inhabitare, invito usufructuario. L. *Hæ-*

*res* 12, ff. *De usu et usufructu, et habitatione*. Patroni enim prohibere possunt, ne alii in suis sepulcris tumulentur. L. *Locum* 2, l. *Familia* 5, l. *Vel quod* 7, l. *Si plures* 41, ff. *De religiosis et sumptibus funer.*, l. *Jus sepulcri* 13, cod. eod.; Ventriglia, *loc. cit.*, num. 3; Barbosa, *loc. cit.*, n. 12, et alii. (90. Extinctis autem patronis omnibus, tunc rectores Ecclesiæ, seu regulares possunt non solum alios mortuos ibi sepelire, sed etiam sepulturam alteri concedere, quia mortuo usufructuario, ille usus redit ad proprietatem libere. L. *Corruptionem usufructus* 16, cod. *De usufructu et habitatione*; Sebastian., Medicus, *loc. cit.*, q. 8, n. 3; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 3, et alii.

(91. Item possent rectores Ecclesiæ, seu regulares in patronatis sepulcris aliquem alium tumulare, interveniente causa necessitatis. Lavorius, *Variar. lucubr.*, tit. 2, c. 11, n. 36, post abbatem, et Roman. ibi citatos, Ventriglia, *loc. cit.*, num. 3, et alii. Quod enim non est licitum in lege, necessitas facit licitum cap. *Quod non est* 4, De regulis juris, cap. *Quoniam* 13, caus. 1, quæst. 7, cum necessitas non habeat legem cap. *Sicut* 11, De consecrat., dist. 1, cap. *Omnes* 1, De feriis, cap. *Consilium* 2, De observ. jejuniar., cap. *Consulisti* 3, De celebrat. missar. In qualibet enim dispositione intelligitur excepta necessitas. Cap. *Licet* 6, De poenitent. et remissionibus; Fagnan., libr. I *Decretal.*, in cap. *Nihil* 44, De election., n. 26.

(92. Si plures sint patroni, debent omnes consentire nec sufficit consensus majoris partis ad hoc, ut cadaver illius, qui eligit sepulturam in alieno sepulcro, possit ibidem sepeliri, textu expresso in l. *Si plures* 41, ff. *De religiosis et sumptibus funer.*, ibi: « Si plures sint domini ejus loci, ubi mortuus infertur, omnes consentire debent, cum extranei inferantur; » quod enim omnem tangit, ab omnibus approbari debet, textu expresso in c. *Ad hæc* 6, De offic. archidiacon., ibi: « Cum ab omnibus, quod omnes tangit, approbari debeat. »

(93. Decedens facta electione sepulturæ alterius patroni, si patronus denegat consensum, nec intendat admittere cadaver ad ejus sepulturam, dicitur decedere non facta electione; nam idem est, aliquid non esse factum, quam nulliter factum. L. *Si se non obtulit*, 4, § 6, ff. *De re judicata*, ibi: « Condemnatum accipere debemus eum, qui rite condemnatus est, ut sententia valeat; cæterum si aliqua ratione sententia nullius momenti sit, dicendum est, condemnationis verbum non tenere. » Paria enim sunt non esse, et nullum esse. Arg. l. *Duo sunt Titii*, ff. *De testamentaria tutela*. Et quod nullum est, nullum producit effectum. Cap. *Illud* 8, De jure patronatus; Ventriglia, *loc. cit.*, num. 5; Paris, consil. 93, num. 11, lib. I, et alii. Contrarium tamen dicendum esset, si accederet episcopi vel rectoris Ecclesiæ dispensatio, qui possunt illam concedere in casu necessitatis, etiam invito patrono. Bonacina, tom. II *De contract.*, disp. 3.

quæst. de punct. 3, n. 4; Ventriglia, *loco cit.*, num. 5, et alii; arg. citatis iuribus *cupra* n. 91.

(94. Filiusfamilias dummodo pubes sit, et sit sui juris, potest etiam sine consensu patris sibi libere eligere sepulturam. *Communis*, cap. *Unaquæque* 4, § *Exemplo*, caus. 13, q. 2, cap. *Nos instituta* 1, De sepulturis, cap. *Licet* 4, eod. in 6, cum similibus; et ratio est quia quoad jura spiritualia, quale est etiam jus sepulturæ, cap. *Quæsitæ* 12, caus. 13, q. 2, filiusfamilias patriæ potestati subiectus non est.

(95. Item servus, si pubes sit, potest ex eadem ratione sibi libere eligere sepulturam, quia servitus est de jure temporali, et nequit extendi ad spiritualia. Card. Petra, tom. II *Commentar. ad constit. 2 Honorii III*, num. 18; Samuel., *De sepultur.*, tract. 1, disput. 5, contrav. 1, conclus. 8; Lavorius, *loco cit.*, cap. 11, tit. 2, n. 146; Ventriglia, Panimol., Murga, et alii passim.

(96. Item sepulturam sibi eligere libere possunt novitii etiam extra monasterium, et in alia ecclesia, quia cum hi possint vivi libere discedere a monasterio, et ad sæculum redire, cap. *Consulisti* 19, cap. *Statuimus* 23, De regularib., cum similibus, id illis debet etiam permitti in morte, arg. cap. *Religiosi* 5, De sepulturis in 6, ubi ideo præcise prohibetur religiosis professis eligere sepulturam, quia *velle et nolle non habent*, ergo a sensu contrario, quia novitii *velle et nolle* adhuc habent, cum obedientiam nondum promiserint, sine dubio possunt sibi libere eligere sepulturam. Pirrhing, *loco cit.*, num. 25; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 43; Engel, *loco cit.*, num. 12; Donat., tom. III, tract. 10, q. 4; Armilla, verb. *Sepultura*, num. 6, et alii passim.

(97. Religiosi tamen professi in claustris morientes non possunt sibi eligere sepulturam. *Communissima*, textu expresso in cit. cap. *Religiosi* 5, De sepulturis in 6, ibi: « Religiosi, nisi a propriis monasteriis adeo forsitan sint remoti, quod ad ea, cum moriantur, commode portari non possint, nequeunt (cum velle vel nolle non habeant) sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua monasteria tumulandi.»

(98. Et hoc procedit etiam de prælati et superioribus regularibus; quia licet prælati habeant aliquod velle et nolle, non tamen proprium et absolutum a Regula et constitutionibus, sed commensuratus illis, et dependenter ab illis; adeoque si regula et constitutiones hoc illis non concedant, standum est juri canonico, in cit. c. *Si religiosi* 3, De sepulturis in 6, quod loquitur de religiosis indistincte et universaliter; ubi enim jus non distinguit, nec nos distinguere debemus. L. *De pretio* 8, De Publiciana in rem action., et verba generalia generaliter sunt intelligenda. Cap. *Quia circa* 22, De privileg. Tum quia regulares per prælaturas seu superioritates, non desinunt esse regulares, et in ipsis perseverat dispositio juris canonici in dict. cap. *Si religiosi*, quia quamvis respectu suorum

subditorum habeant *velle et nolle*, secus autem respectu suorum superiorum, ut patet de superioribus seu prælati localibus respectu provincialium, et de provincialibus respectu generalium, et de generalibus respectu Summi Pontificis. Sic expresse Donatus, tom. II, resolut. 51, n. 158, et alii contra multos alios.

(99. Impuberes nequeunt sibi eligere sepulturam. *Communis*, textu expresso in cit. cap. *Licet* 4, De sepultur. in 6, ibi: « Nequeunt, antequam ad annos pubertatis pervenerint, eligere sepulturam. » Nisi tamen malitia suppleat ætatem, quia tunc posse sibi eligere sepulturam, tenent Ventriglia, *l. cit.*, num. 11; Zerola, in *Prazi episcop.*, part. 1, verb. *Sepultura*, § 1; Sperell., decis. 89, num. 2; Lavorius, *Variar. lucubrat.*, tit. 2, cap. 11, num. 109; Sebastian. Medic., *De sepult.*, q. 8, num. 3; Lopus, allegat. 59, num. 2; Barbos., lib. II, *Jur. ecclesiastic. univers.*, cap. 10, sub num. 27; Didacus Narbona, in tract. *De ætat. ad omnes humanos actus requisit. ann.* 14, q. 4 in princip.; card. Petra, *loco cit.*, num. 3, et alii.

(100. Pro impubere nequeunte sibi eligere sepulturam, potest ipsi illum eligere pater, ubi ad id adest legitima consuetudo. *Communis*, textu expresso in cit. cap. *Licet* 4, De sepulturis in 6, ibi: « Licet pater minores filios, qui nequeunt, antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere sepulturam, possit (si consuetudo terræ id habeat) quo voluerit sepelire, hoc tamen non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur, sed sunt cum suis majoribus vel in parochiali ecclesia tumulandi. »

(101. Nequit tamen pater sepulturam eligere filio impuberi, ubi non adest talis consuetudo, ut expresse loquitur citatus textus, ibi: « Hoc tamen non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur. » Et sic tenent Barbosa, in cap. *De sepultur.*, num. 5; Gratian., disceptat. 94, n. ultim., Bellet., *Disquisit. cleric.*, part. 1, tit. *De cleric. debitor.*, § 3, n. 17; Sperell., decis. 89, num. 3; Pignatell., tom. VII, consult. 21, n. 1; Passerin., *De statib. homin.*, tom. II, q. 187, art. 4, n. 270; Matthæuc., *loc. cit.*, num. 25; Genuens, in *Prax. cur. episcop. Neapolit.*, cap. 76, num. 4, impress. venet., ubi tradit, hanc consuetudinem non esse Neapoli; card., *loc. cit.*, sub n. 9, vers. *Verum*, ubi refert, sic in terminis firmasse sacram congregat. Concilii, in *Placentina* 27 Novembris 1619, in qua respondit « Ad primum: patrem, si legitima consuetudo loci id non habeat, eligere non posse. » Et sic censuit novissime sac. congregat. Concil., in *Alexanen. Funerum* 13 Julii 1743, in responsione ad 4 et 5 dubium.

(102. Non desunt tamen doctores magni nominis defendentes, quod hodie generaliter, et nulla attentata consuetudine, permittitur parentibus eligere sepulturam filio impuberi in quacunque ecclesia etiam regularium. Sic Ventriglia, in *Prax. adnotat.* 52, § unic., num. 13; Barb., in *Summ. Apo-*

*stolic. decis.*, verb. *Sepultura*, num. 14; Laurent. de Peirin., *De privileg. regul.*, tom. III in fine, pag. 570; Samuel., *De sepultur.*, tract. 1, disp. 4, contrav. 1, conclus. 4; Murga, *disquisit.* 9, § 1, conclus. 2, n. 4; Nicolius, *Lucubrat. utriusque jur.*, tom. I, lib. IV, tit. 15, *De interdict.*, n. 21, et videtur facere Rota, dec. 16, n. 8, post Antonell., *De iuribus clericor. in Casalen. Quartæ funeralium super bono jure* 16 Januarii 1697, coram eminentissimo Caprara, ubi non requirit licentiam parochi aut capituli, et alii, qui omnes se fundant in resolutione sacre congregationis Regularium sub die 20 Januarii 1640, penes Peirin., *loco cit.*; Barbosam, *loco cit.*, n. 14; Murgam, *loco cit.*; num. 7, quæ sic habet: « Sacra congregatio negotiis regularium præposita sapius censuit licere parentibus in quacunque Ecclesia voluerint, etiam regularium, eorum filios minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerunt, eligere sepulturam, nec a parochis locorum impediri posse aut debere; præsertim vero si in dictis regularium ecclesiis sepeliri consueverint, vel in eis habeant sepulera majorum. » Et ad id facit decret. sacre congreg. Concil., in *Novariens.* 15 Martii 1704, in respon. ad primum.

(103. Si adsit sepulcrum majorum in ecclesia regularium, tunc, præcisa consuetudine, debent impuberes ibi sepeliri, ut declaravit sac. cong. Concilii, in *Firmana juriur. parochialium ad tertium*, et in *Novariens.* 15 Martii 1704, ad primum, teste card. Petra, *loco cit.*, n. 9 in fine.

(104. Facultas permissa Patri eligendi sepulturam filio impuberi non potest exerceri post mortem ipsius filii, sed solum pendente ipsius vita. Sperel., dec. 89, n. 5; card. Petra, *loco cit.*, n. 11; Nicolius, *loco cit.*, tit. 15, *De interdict.*, n. 21; Murga, *loco cit.*, tract. 7, sect. 2, disp. 9, § 9, n. 3; Lavorius, *loco cit.*, tit. 2, c. 11, sub n. 18; Aldan., in *Compend. Canonic. resolut.*, lib. II, tit. 17, n. 5; Barbosa, cit. cap. 20, num. 28, et in *Summa Apostolic. dec.*, verb. *Sepultura*, num. 6; Ventriglia, *loco cit.*, num. 18; Diana, tom. V, tract. 3, *De casib. occurrent. tempore mortis*, resol. 107, circa med., et sic declarasse sacram congr. Episcop. et Regul., in *Fulginate.* 27 Octobris 1587, nempe quod « sepulturam pro filio minori in vita, non post ejus mortem, potest pater eligere, » testantur Barbosa, in *Summa, loco cit.*, num. 6; Ventriglia, *l. cit.*; Lavorius, *loco cit.*; Aldan., *loco cit.*, et alii, et Pignatell. tom. VII, consult. 21, ubi plura adducit decreta ad rem. Vide tamen Sperel., *loco cit.*, n. 5, subdentem etiam sic rescripsisse, in *una montis Pelusii* 6 Junii 1659, sub verb. *Quarta funeralis*, n. 32, decret. sac. congreg. Concilii, in responsione ad 1.

(105. Deficiente patre, potest mater eligere sepulturam filio impuberi, si ad id concurrat legitima consuetudo, secus non. Card. Petra, *loco cit.*, n. 6; Barbosa, cit. cap. 10, n. 38; Panimol., tom. I, decis. 5,

adnotat. 3, n. 24; Lavorius, *loco cit.*, c. 11, num. 119, et alii passim. Et declaravit sac. congreg. Concilii, in *Majoricens.*, quæ refertur in *constit. 6 Innocentii XI*, § 6, tom. V *Bullarii*, et adducitur a Matthæucci, *loco cit.*, num. 25, ibi: Ad dubium: « An mater pro filiis impuberibus possit eligere sepulturam? » Respondit: « Non licere matribus eligere sepulturam pro filiis impuberibus, cessante legitima consuetudine. » In *Avelinen.* tamen 15 Septembris 1605, statuit sic: « Etiam mater, cum pater non adest, potest filio impuberi sepulturam eligere vivente tamen filio, » apud Pignatell., *loco cit.*

(106. Talis consuetudo pro eligenda sepultura filii impuberibus debet esse generalis in loco vel civitate; alias consuetudo particularis alicujus Ecclesiæ cæteris ejusdem Urbis ecclesiis præjudicaret, ut colligitur ex cit. cap. *Licet*, De sepulturis in 6, ibi: *Consuetudo terræ*, et expresse, *ibid.*, notant archidiacon. ant. num. 1; Franch. ante num. 2, et Ancharan., num. 3, et alii; Sperel., cit. decis. 89, num. 34 cum seq., allegans ad id casus decisos, et alios doctores.

(107. Item talis consuetudo debet esse legitime præscripta, quæ quoad patrem sufficit decennialis, cum ipsi assistat jus, in cit. cap. *Licet*, approbante talem consuetudinem. Card. Petra, *loco cit.*, n. 7, cum Glossa, Barbosa, Ventriglia, Passerin. ibi allegatis, Matthæuc., *loco cit.*, nu. 25; Sperel., *loco cit.*, n. 20, cum aliis ibi adductis, et alii. Quoad matrem autem, cui jus non assistit, requiritur consuetudo quadragenaria, nec sufficit decennialis. Card. Petra, *loco cit.*, n. 12; Sperell., *loco cit.*, num. 20, cum aliis ibi allegatis; Matthæuc., *loco cit.*, n. 25; Bursat. consil. 226, n. 218, col. 3; Sebastian. Medices, *loco cit.*, q. 8, n. 23; Moronus, resolut. 51, num. 43, et alii.

(108. Et hæc quadragenaria consuetudo introduci potest etiam favore avorum, fratrum, consanguineorum, affinium, tutorum, administratorum, maritorum, uxorum, dominorum et amicorum, quia etiam in istis adest eadem ratio consuetudinis considerata in patre vel matre, ut per Gloss. in d. cap. *Licet*; et ibi Franc., n. 3, et Stephan. Gratian., tom. I, *Disp. forens.*, disputat. 94, num. 80; apud Sperel., *loco cit.*, n. 16, et tenent card. Petra, *loco cit.*, n. 19, et alii apud Gratian., *loco cit.*, aliique plures. Contrarium tamen tenuerunt Joan., Asi., l. *Familiaria sepulera*, ff. *De religiosis. et sumptib. funer.*; Bursat., consil. 226, n. 118, col. 3; Bellet., *Disquisit. cleric.*, tit. *De cleric. debitor.*, § 3, n. 18; Barbosa, in *Collect.*, ad cap. 1, n. 6, *De sepultur.*

(109. Impuberes decedentes non sibi electa sepultura a suprascriptis ad id facultatem habentibus ratione legitimæ consuetudinis, sepeliendi sunt in sepulcro suorum majorum, si habeant vel si non habeant, in propria parochiali. *Communis*, textu expresso in cit. cap. *Licet* 4, De sepultur. in

6. ibi: « Sed sunt cum suis majoribus vel in parochiali ecclesia tumulandi. »

(110. Electio sepulturæ probari debet, cum sit quid facti, et sufficit probatio, non solum per testamentum et codicillum validum, sed etiam invalidum, per scripturam manu propria subscriptam, per duos testes, etiam si sint singulares, et per solum dictum confessarii. Riccius, in *Praxi*, 1 part., resolut. 575 per tot; Mascard., *De probationibus*, III vol., concl. 1297; Lavor., *loco cit.*, cap. 11, n. 18; Molfesius, in *Summa*, tom. II, tract. 13, cap. 8, n. 32; Ventriglia, *loco cit.*, n. 44; cardin. Petra, *loco cit.*, n. 21, et alii passim. Et sic pluries declaravit sacra congregatio. Concil. et signanter die 14 Februarii 1666, et Benedict. XIII; constitut. incip. *Pretiosus*, § 69.

(111. Electio sepulturæ potest variari toties quoties eligenti videbitur usque ad finem vitæ; electio enim sepulturæ est pars ultimæ voluntatis; omnis autem actus ultimæ voluntatis sua natura est revocabilis, adeoque, etc. *Communis*. (112. Et hæc revocatio potest fieri, non solum expresse, sed etiam tacite per secundam electionem; regulare enim est in actibus causa mortis, ut secunda voluntas revocet primam. *Communis*.)

(113. Electio sepulturæ semel legitime facta, si non revocetur, perseverat usque ad mortem: unde si infirmus eligens sepulturam convalescat, et postea moriatur ex alia infirmitate, etiam per longissimum tempus, censetur mori cum electione sepulturæ, et est sepeliendus in ipsa sepultura semel ab ipso electa, nam illa electio facta non censetur revocata, nec infirmata, ex quo infirmus pro tunc non decesserit, sicuti testamentum factum in articulo mortis non infirmatur ex eo, quod testator convalescit; l. fin. et ibi Bald. et alii ff. *De hæred. instit.*, c. *Licet*, De procuratoribus in 6, cum similibus, et in terminis firmavit sac. congregatio. Concil. 14 Februarii 1666, in responsione ad tertium, ut mox infra patebit.

(114. In materia electionis sepulturæ valde notanda sunt responsa sacræ congregationis. Concilii ad infrascripta dubia.

I. « An sit valida electio sepulturæ, quamvis sive sanus, sive infirmus coram parochio elegerit? »

II. « An ad validitatem electionis sepulturæ requiratur testamentum in ultima infirmitate, vel sufficiat, quod eligatur antea per alium actum publicum, qui testamentum non sit? »

III. « An sit nulla electio sepulturæ, quando ipsa eligitur per testamentum factum in vita, et non in morte? »

IV. « An qui habet capellam suæ familiæ cum propria sepultura, aut capellam exhereditavit cum sepultura propria, moriens absque sepulturæ electione sepeliendus sit in cathedrali? »

V. « An valide eligatur sepultura coram duobus testibus? »

VI. « An electio sepulturæ per nutus, et signa in casu, quo quis loqui non possit, sit valida? »

VII. « An confratres sodalitates, non electa sepultura, possent sepeliri in sepulcro suæ ecclesiæ? »

VIII. « An electiones sepulturæ, quæ jure præsumuntur, sicut uxoris respectu mariti, filii respectu patris, eorumque majorum, ac servorum respectu dominorum, sint validæ? »

IX. « An qui post mortem mandat suum corpus indui habitu tertiariorum, sit sepeliendus in Ecclesia regulari? »

Ad quæ sub die 13 Februarii 1666, respondens declaravit, censuit et decrevit, ut sequitur.

Ad I. « Censuit esse validam, dummodo parochus non testetur ad proprium commodum. »

Ad II. « Censuit non requiri necessario testamentum. »

Ad III. « Censuit non esse nullam. »

Ad IV. « Non sepeliendum in cathedrali. »

Ad V. « Esse validam. »

Ad VI. « Esse validam; dummodo sufficienter constet de voluntate eligentis. »

Ad VII. « Negative. »

Ad VIII. « Censuit quatenus electa non fuerit sepultura, uxorem in sepulcro ultimo viri sepeliendam, filios vero in sepulcro majorum, servus autem in parochia. »

Ad IX. « Censuit negative: Pignatell., t. I, consult. 17. »

(115. Clericis omnibus sive sæcularibus sive regularibus est graviter prohibitum in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione maledictionis æternæ, ne aliquo medio voto vel juramento, aut pacto seu promissione inducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent, textu expresso in c. *Animarum* 1, De sepulturis in 6, ibi: « Universis religiosiset sæcularibus clericis cujuscunque status vel conditionis existant, in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione maledictionis æternæ districtissime prohibemus, ne aliquos ad movendum, jurandum vel fide interposita, seu alias promittendum inducant, ut apud eorum ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent. »

(116. Insuper clerici sæculares et regulares quod ad hoc transgressores incurrunt, ultra gravissimam culpam, etiam ipso facto excommunicationem majorem Papæ reservatam, textu expresso in Clem. *Cupientes* 3, § *Sane de pœnis*, ibi: « Sane temerarios violatores constitutionis illius, quæ religiosis et clericis sæcularibus prohibet, ne aliquos ad movendum, jurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducant, ut sepulturam apud eorum ecclesias eligant, vel jam electam ulterius non immutent, similem sententiam (scilicet excommunicationis), pœna in dicta constitutione contenta in suo perdurante robore, incurrere volumus ipso facto, ab alio, quam a Sede Apostolica, præterquam in mortis articulo, nullatenus absolvendos, nullis privilegiis aut statutis cujuscunque tenoris existant super his valituris. »

(117. Dictam excommunicationem incurrunt clerici et religiosi, etiam si effectus sepulturæ non sit subsecutus; dummodo subsecutus sit effectus immediatus inductionis, id est electio per juramentum, vel votum, vel pactum. Unde non sufficit promissio de eligendo, ut dicatur inductio facta. Sic Bonifac., in dict. Clementina n. ult. et cardinal., in cit. cap. *Animarum* 1, De sepult. in 6; Silvester, verb. *Excommunicatione* 7, n. 49; Roder., *Quæst. regular.* 58, art. 7, dub. 5; Ventriglia, *loco cit.*, n. 37; Matthæucc., *loco cit.*, n. 20. et alii contra Bonacinam, tom. III, *De excommunic. in particul.*, disput. 2, q. 5, punct. 8, n. 2, vers. *Secundo*.

(118. Dictam excommunicationem, aliasque pœnas non incurrunt clerici et religiosi inducentes aliquem ad eligendam sepulturam in ecclesia aliena, sed necessario requiritur, ut inducant ad eligendam sepulturam in propria ecclesia ad se pertinente, ut clare patet ex verbis cit. cap. *Animarum*, ibi: « Ut apud eorum ecclesias sepulturam eligant, » et cit. Clementina *Cupientes*, § *Sane*, ibi: « Ut sepulturam apud eorum Ecclesias eligant; » Ventriglia, *loco cit.*, n. 39; Lavorius, *loco cit.*, cap. 11, n. 10; Bonacina, *loco cit.*, vers. *Secunda conditio*; Matthæucc., *loco cit.*, n. 26; Monacell., tom. III, tit. 1, formul. 38, n. 9, et tom. IV *Supplement.* ad tom. n. 417; Medices, *loco citat.*, quæst. 8, n. 17, alii passim.

(119. Supradictam excommunicationem, aliasque pœnas incurrunt solum clerici et religiosi inducentes scienter, vel cum ingenti temeritate, quæ scientiam legis supponit, non autem ignorantibus prohibitionem, nisi ignorantia sit affectata. Colligitur aperte ex verbis cit. cap. *Animarum*, ibi: « Præsumpserint sepelire, » et citat. Clementina, *Cupientes*, § *Sane*, ibi: « Sane temerarios violatores; » præsumptio enim, et temeritas scientiam legis, et prohibitionis supponunt. Ventriglia, *loco cit.*, n. 40; Matthæucc., *loco cit.*, n. 26, et alii.

(120. Ut clerici et religiosi incurrant prædictam excommunicationem, aliasque pœnas, requiritur, ut ad eligendam sepulturam in eorum ecclesiis induxerint medio voto aut juramento, vel pacto seu promissione irrevocabili: non tamen incurrunt, si ad id dederint solum simplex consilium, aut adhortationem. Colligitur clare ex verbis cit. c. *Animarum*, et cit. Clementina, *Cupientes*, § *Sane*, ibi: « Ne aliquos ad movendum, jurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducant. » Sic teste Monacell., tom. III, tit. 1, formul. 38, n. 10, communiter tradunt Samuel., *De sepulturis*, tract. 1, disp. 2, controvers. 1, concl. 8, n. 16; Pasqualig., ad *Lauret. de Franch. controvers.*, pag. 2, quæst. 63, n. 2; Donat., *Præx. rer. regular.*, tom. III, tract. 9, quæst. 27, n. 3, et etiam card. Petra, *loco cit.*, n. 43, cum pluribus aliis ibi citatis.

(121. Imo ex Bonifac., in dict. Clement., n. 74; Roderic., *loco cit.*, art. 7 in fine; Tolet., lib. I, cap. 36, § *Quarta*; Suarez, disp.

22, *De censur.*, sect. 5, n. 25; Sayr., lib. v, cap. 12, n. 9; Ventriglia, *loco cit.*, n. 38, pœnæ appositæ in cit. cap. *Animarum*, et cit. Clementina, *Cupientes* non procedunt quando quis inducitur ad eligendam sepulturam in testamento, seu ultima voluntate.

(122. An autem parochi, ut supra, inducentes alienos parochianos ad eligendam sepulturam in sua parochia, vel ad non mutandam jam electam, seu impediendo proprios, ne ipsam eligant in ecclesiis regularium, incurrant prædictam excommunicationem, aliasque pœnas? Controversia est inter doctores. Bonacina enim tom. III, *De excomm. in particulari extra Bullam Cænæ*, disput. 2, quæst. 5, punct. 4, n. 5, quem sequitur Ventriglia, *loco cit.*, n. 43, defendit partem negativam, ex quo, ut ipse ait, dicta constitutio in cap. *Animarum*, et dicta Clementina *Cupientes*, edita fuerit in favorem parochorum, et quod inductum est in favorem alicujus, in ipsius odium retorqueri non debet. Leg. *Nulla*, ff. *De legibus*, et c. *Quod ob gratiam* 61, De reg. juris in 6; Monacell. autem tom. IV *Supplement.* ad III tom., n. 60, docet mordicus sententiam affirmativam, dicens cavendum esse a tali sententia et a doctrina Bonacinæ, quia dicit ipse, Bonacina in hoc fallitur, cum non in favorem parochorum, sed decedentium, ad hoc nempe, ut libere quandoque et ubicunque placuisset eis sepulturam eligere possent, edita fuerit utraque citata constitutio tam Bonificii VIII, in dict. cap. *Animarum* 1, De sepult., quam Clementis V, in d. Clementina *Cupientes* 3, De pœnis. Unde parochi in his transgressores æque ac alii clerici sæculares et religiosi incurrunt dictam excommunicationem, aliasque pœnas, ut pro indubitato tenent Samuel., *De sepult.*, tract. 1, disp. 2, controvers. 5 per tot; et controvers. 8, n. 7 et 15; Passerin., *De statib. homin.*, tom. II, q. 187, art. 4, n. 319, quia directe violant legem, et morientes inducunt ad obligationem contra legis mentem, quæ fuit, et est, ut electio sepulturæ maneat libera, et ut adhibeatur remedium contra avaritiam, ut bene observat Passerin., *loco cit.*, n. 423, quæ ratio æque militat in parochis respectu alienorum parochianorum, ac in clericis sæcularibus, et regularibus respectu cæterorum, et ubi eadem est ratio, eadem est legis dispositio. L. *Illud*, ff. *ad legem Aquiliam*, et cap. *Inter corporalia* 2, De translation. episcop. Tum quia, ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus. Leg. *De pretio* 8, De Publiciana in rem action., et verba generalia (uti sunt in cit. constitut.) generaliter sunt intelligenda; c. *Quia circa* 22, De privileg. Et sic videtur supponere etiam Donatus, tom. III, tract. 9, *De sepult.*, q. 10; congregatio Concilii, in *Laudensi Funerum*, die 2 Martii 1711, in respons. ad tertium, teste d. Ursaya, tom. I, p. II, discept. 14, n. 137.

(123. Hinc cum in dictis constitutionibus fiat sermo generaliter et indefinite de religiosiis, non distinguendo inter fratres et moniales, nec inter fratres clericos et con-